

plures dispositiones ediderunt. Quatuor concilia ab Apostolis fuerunt Jerosolymis celebrata: primum, anno Christi 34, quando Mathias electus est in loco Judæ proditoris; secundum, eodem anno, quando ex septuaginta discipulis electi sunt septem diaconi; tertium, anno 51, in quo statutum est Gentiles ad fidem conversos non teneri ad circumcisionem; quartum, anno 56 vel 58, in quo Judæis credentibus permisus est ad tempus usus legalium ut synagoga paulatim cum honore sepeliretur. Cf. Smith, Compend. Juris Can. n. 20.

Traditur apostolos plures canones et constitutiones edidisse quæ ad nos pervenerunt et quæ leguntur sub fine Decreti Gratiani; merito dubitatur inter auctores de eorum authenticitate.

11. Romani Pontifices sunt potissimus fons juris canonici, quia receperunt potestatem jurisdictionis supra universam Ecclesiam: "Si quis, ait concilium Vaticanum, dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in eis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent, aut enim habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis, aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit."

12. Romanus Pontifex jus dicit toti Ecclesiæ aut singulis determinatis personis: in primo casu habemus *constitutiones*, in altero casu *rescripta pontificia*. Summus Pontifex legem dicere potest universæ Ecclesiæ vel in concilio æcumenico, vel per se solum cum solus habeat plenitudinem potestatis. Leges editæ in concilio appellantur *canones*; si emanent a solo pontifice, vocantur *constitutiones*. Consti-